

E L E G I A
IN AVLAM PHILOSOPHORVM, ACADEMIAE TV-
BINGENSIS, RENOVATAM
Anno 1594. eiusdem
Cellij.

HANC quisquis Veterem vis contemplarier Aulam,
Nuper in hunc meritò quæ renouata modum,
Huc ades; huc oculos, si non graue, dirige; forsan
Non animo cernes displicitura tuo.
Dux Eberhardus in hac terra VVürtbergide primus,
(Huius fundator, principiumq; Scholæ:
Cui sit laus, & honor, pietatis nomine tantæ;
Ac pro Communis curâ, & amore Boni)
Ordinibus reliquis sua cuiq; Lycea docendi
Cùm dederat, dignis ædificata modis:
Hanc etiam voluit Princeps mitissimus Aulam
Attribui studijs, Philosophia, tuis.
Hic tua per calidos tractares dogmata soles;
Quoslibet hinc Actus perficeresque tuos.
Hactenus hinc igitur variâ certatur arenâ:
Res sunt materies, tota Sophia, tuæ.
Ardescunt animi studio flagrante Docentum;
Discentum mentes par quoque feruor agit.
Ethica manè sonat; Logice; Oratoria; post hæc,
Dia Mathematicæ, dia Geometricæ.
Dia Poësis, & Historiæ; diuinus Homerus;
Thucydides; Physicæ claudit honora diem.
Hic sua, Lauricomæ qui gestant, bella, coronas,
Conficiunt, varias discutiuntq; Theses.

Hic